



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn


Johannis Michaelis Dilherri Contemplationes, Et Suspiria Hominis Christiani

Dilherr, Johann Michael

Norimbergae, 1660

Contemplatio I. De magnitudine amoris Dei.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10209



CONTEMPLATIO-
NUM ET SUSPIRIO-
RUM HOMINIS
CHRISTIANI

I.

De magnitudine amoris

DEI.



Vigila, anima mea!
ex somno ignorantiae:
expergiscere, cor meum!
ex sopore pigritiae: elu-
ctare, spiritus meus! ex
profundo tenebrarum: & respice ad
Deum meum! Respice ad Deum
meum, qui oculis nequit adspici cor-
poreis; quia lucem habitat inaccessi-
sam: quem videre nemo potest, & vi-
vere.

Excito tamen, o Deus meus! ad te
spiritum meum: elevo ad te cor me-
um; suscito ad te animam meam; o-
culos meos ad te attollo.

A 7

Medi.

14 CONTEMPLATIONES

Meditari, & considerare te cupit intellectus meus: sed unde incipiat, in quo pergat, & finiat, non videt. Plectra linguæ meæ tibi se movere parata sunt; sed neque prologum, neque epilogum, neque exordium, neque exodium inveniunt.

O Deus meus! duc me, & doce me: fove me, & juva me!

Si te intueor: quid se mihi offert primò? quid secundò? quid tertio? quid ultimò? Amor est, quod obversatur mihi: amor est, quod video: amor est, quod sentio. Scintillæ amoris sunt; quæcunque ante meos sunt oculos. Scintillæ sunt, in mari, pisces; scintillæ sunt, in campo, gramina; scintillæ sunt, in hortis, arbores, in arboribus, frondes, scintilla est Sol toties oriens, toties occidens: scintillæ sunt ejus radii, hoc universum collustrantes; scintilla est Luna; scintillæ ejus cornua; scintillæ sunt stellæ scintillantes; & omnes exercitus cælorum. Si tot mihi essent linguæ, quot membra mihi dedisti; si intellectus mihi

mihi esset angelicus: vestigia amoris
tui nec capere, nec eloqui possem. O
amor præceps! amor flagrans! amor
vehemens! amor te, intra te, cohibe-
re non valens! Cùm nihil essem; vo-
luisti, ut aliquid fierem: & creasti me
ad imaginem, non Solis, aut Lunæ;
nec Angelorum: sed ad imaginem tu-
am: ut in hac tibi vita servirem; & post
hanc vitam, nullâ morte, sed, non mo-
lesto transitu, mutandam, tecum re-
gnarem, & æternùm te laudarem.

Posuisti me in Paradisum, & hor-
tum voluptatis: non ut, cum bestiis,
belligerarem, aut rugitus leonum, &
fremitus urforum, metuerem: sed ut
omnes mihi bestia subjacerent, nutus
meos reformidarent, & humili me
obsequio oblectarent. Investigare
volo, Deus! opera tua: sed non pos-
sum, Deus meus! Scripsit aliquid Mo-
ses: sed scripsit & transiit hinc ad te.
Neque enim nunc ante me est: nam
si esset; tenerem & rogarem eum, &
per te obsecrarem, ut mihi admirabi-
lia creationis, in qua fons amoris tui
efflu-

16 CONTEMPLATIONES

effluxit, & ebullivit uberrimè, panderet; & præberem aures corporis mei, sonis erumpentibus ex ore ejus: admitterem etiam in domicilium pectoris mei; & pulsaret sensum meum, & tangeret mentem meam. Sed abiit, qui adumbravit mihi magnalia tua; & nemo est; qui explicet totum: cum tu ex parte tantum me volueris facta tua intelligere: dum à te, apud te, plenissimè erudiar. Nec tamen partem, quam concessisti & permisisti, satis intelligo: ô Omnipotentia!

Parce ergò, ô Misericordia! seruo tuo, operi manuum tuarum! Manus tuæ plasmaverunt me; spiritus tuus animavit me; & vitam dedit vitæ meæ: dedit mihi, quæ nec numerare, nec ponderare valeo: Deus enim & Dei dona sunt talia. Ah! dona & hoc mihi: ut & hanc amoris tui stricturam impetrem: ut, qui creator meus es, sis quoque pater meus: & filium, tanto quidem patre indignum, ne respuas; ne rejicias: ne amoris tui facias exhæredem.

CON-